

LIBER

Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur: sed ad noticiam meam non uenerunt.
Mortuus eodem anno quo Symmachus patricius & Iohannes papa: sub Anastasio imperatore: iussu Theoderici regis apud Rauennam post diuturnum exilium in carcere iugulatus: Anno domini Quingentesimo, XXIII. Indictione secunda. Et sub nomine Severini catalogo sanctorum insertus dicitur.

Hormisda papa: natione Campanus: post Symmachum pontificem praefuit ecclesiae annis nouem: uir bonus: doctus & strenuus: qui Romae congregata synodo: Eutycianam haeresim damnauit: ac manichaeos rursum pullulantes: libris errorum combustis: in exilium relegauit. Scripsit inter caetera ingenij sui opuscula:

Decretum synodale:	li.	i	
Ad Iustinum augustum:	epist.	i	Interea quae ad unitatem ec.
Ad clericos secundae syriae.	epist.	i	lectis litteris dilectionis ue.
Epistolas plures ad diuersos.	li.	i	

Moritur sub Iustino seniore augusto: Anno domini Quingentesimo, XXI. Indictione xiiij. viij. Idus augusti. Iohannes successit.

Euodius episcopus Ticinensis: uir in diuinis scripturis eruditus: & secularium linguarum non ignarus: singularis eloquentiae: tam graece quam latine: missus ab Hormisda papa Constantinopolim in causis fidei ad Anastasium imperatorem haereticum: multis acceptis iniurijs unquam socijs ab urbe depellitur: dicente Anastasio: Quid nobis mandata porrigitis: qui sub nullius ditione sumus: Oportet Romanum pontificem nobis obedire: non etiam praecipere. Scripsit autem Euodius ad Symmachum papam:

De fide catholica: li. i

Et quaedam alia.

Claruit sub Anastasio imperatore: Anno domini Quingentesimo, X.

Iordanus ex monacho episcopus Gothorum: uir in diuinis scripturis studiosus: & in secularibus litteris competenter eruditus: ingenio mitis & apertus eloquio: scrutator temporum: & rerum gestarum: scriptor insignis. Ferre quaedam praecleara composuisse uolumina: de quibus ad meam noticiam paucissima puenierit. Reperi enim tantum Historiarum: li. ij

In quorum primo recensuit gesta Romanorum: in secundo uero originem & gesta Gothorum usque ad finem regni ipsorum. Claruit autem sub Iustiano imperatore: Anno domini Quingentesimo, XXX.

Felix Augustus monachus & discipulus sanctissimi patris nostri Benedicti: natione Italus: uir scientia & moribus uenerabilis: cum septem annorum esset: diuo patri Benedicto a parentibus suis fuit oblatus: a quo tandem post perfectam regularis propositi institutionem: cum beato Mauro missus fuit in Galliam ad construendum coenobium: ubi in magna sanctitate multis annis conuersatus: mortuo sancto Mauro ad montem Cassinum reuersus est. Petentibus autem scripsit claro admodum eloquio ad Bonifacium Romanae urbis pontificem secundum:

Vita sancti Mauri abbatis: li. i

Claruit sub Phoca imperatore: Anno domini Sexcentesimo.

Iustinianus imperator magnus: Iustini senioris ex sorore nepos: imperauit post eum annis. xxxvij. uir magni & excellentis ingenij: locum iter ecclesiasticos scriptores merito acquisiuit: qui & contra haereticos uolumen clarissimum edidit: &

Romanas leges amplius quam in duobus milibus libris iacentes: per manus Iohannis patricij: Theophrasti ac Dorothei consulum mirabili breuitate correxit. Nam omnes constitutiones principum quae in multis uoluminibus habebantur: ad duodecim libros redigens: Codicem appellauit. Rursum leges singulorum magistratuum & iudicum: quae usque ad duo milia pene librorum: ut diximus erant extensae: ad numerum quinquaginta librorum in tribus uoluminibus redigens: Codicem Digestorum siue Pandectarum nuncupauit. Quattuor etiam institutionum libros composuit: in quibus nucleus legum comprehenditur & exponitur. Nouas quoque leges quas ipse statuerat: in unum uolumen redegit. Omnium librorum

i Justinianus imperator
leges in Francia